

1501 euntibus Turcæ summis in ripis atque ipso prope in flumine occurrerunt, naviculamque unam truncis ramisque arborum, quos in flumen dejecerant, impeditam opprefferunt. Ipse cum reliquis incolumibus ad ostium fluminis cum revertisset, atque interim mare, quod vadofum late erat, magno coorto vento se excitavisset, erumpere ausi mediis in vadis naufragium fecerunt: quorum pars interiit, atque in his Hieronymus Maurocenus propinquus meus, navis onerariæ bellicæ præfectus, magno animo, magnaque virtute. reliqui plerique in litus ejecti, ab hostibus capti sunt, præter naviculas pauculas, quæ tempestate superata se Dyrrhachium contulerunt, quo jam venerat Pisaurus, eaque illum de re certiore fecerunt. Marcus Orius, & Vincentius Pascalicus, navis item bellicæ præfectus, capti. ac fuit eorum qui interierunt, & qui in manus hostium pervenerunt, numerus circiter trecenti.

*Alexium
se Venetijs
dedit.*

Pisauro Dyrrhachio digresso, Georgii Castriotæ Epirotæ hortatu & Antonii Boni legati, sponte se Alexiani dederunt. Est Alexium in Drino flumine, quod vado transiri non potest, insula triquetra, mare uno ab latere attingens, ab reliquis flumen, quod ipsa dirimit. Eorum quodque laterum tria millia passuum efficit: ipsa vallo circummunita: quam ad insulam, capta ab rege Thracio Scodra, eorum locorum se se homines contulerunt, atque incolere cœperunt. Ea Turcæ ad mercaturam utebantur, magnumque frumenti numerum, quo montani late homines earum regionum alerentur, neque parvam salis copiam quotannis eo convehebant: picis autem ceræque ac mellis magnam vim eodem ab interioribus Illyrici finibus, atque ab Epiro importari solitam coemebant. Isque reipublicæ usui futurus locus videbatur. Eo tempore Alexander triremes reipublicæ viginti pecunia sua sacraque se armaturum pollicitus, quibus civitas bello Thracio uteretur, quindecim modo per suos ministros, ut instruerentur, diligentiam adhibuit: reliquas quinque Senatui armandas remisit, cum ei pecuniam sacram, quam homines in imperio Veneto, ut criminibus & maleficiis obnoxii, ob commissa post mortem

apud